



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput II. Natales & Pueritia. Primi Pietatis igniculi. Modestia rara.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

4 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

*mente Sanctitas, in corde charitas. sic ut species de-
corque corporis fuerit effigies anima, & Imago virtu-
tis.* Neque putet aliquis, me communi formu-
lâ Virtutem hujus Viri colorare. Fidem faciunt
illi Testes, qui jussi aliquid de Virtutibus quas
observâssent in viro, dicere, itâ excellentem in
moribus Sanctitatem descripserunt, ut non ali-
am vitam duxisse, atque se in Patre MARTINO
vidisse, calamo testati fuerint, quàm *Imaginem
Virtutis.* Sed quia hoc ipsum probandum esse
â nobis, & in particulari demonstrandum peti
arbitror, idcirco ex umbra lineamentorum, ad
picturam primæ lucis calamum promoveo.

C A P U T I I.

Natales & Pueritia. Primi pietatis
igniculi. Modestia rara.

HXISTIMABAMUS hæctenus,
peregrinam esse Virtutem, quoad vi-
tæ sanctimoniam, & ultra parietes
quæri oportere, cum intra limina nostra sæpiùs
Viri à virtute spectabiles, orientur, & fiant. Vi-
dimus certè intra Provinciam nostram, & mani-
bus etiam ex charitatis amplexu, venerati fu-
mus tum complures Viros, tum præcipuè om-
nium

CAPUT II.

nium opinione celebrem ab odore Sanctitatis P. MARTINUM; qui quasi natus è familia Virtutis; suorum Natalium gloriam ab origine prima usque ad senectam, non ità semper tuitus fuit, quàm constanter adauxit. Natale solum ipsius fuit, Glivicium in superiore Silesia, oppidum Ducale. Locus à quibusdam Viris, SOCIETATI JESU partis ac datis, eximiè illustris. Annus fuit 1587. November mensis ad ferias Divi Præfulis MARTINI. Parentem habuit Martinum Stredonium, ejusdem Civitatis Consulem, virum à pietate ac prudentia omnibus amatum. Matrem Barbaram Meridianam, nostri quondam eximii Viri Patris Georgii Meridies, Domûs professæ Præpositi & Rectoris Pragæ Magnifici, Sororem. Fratres duos primogenitus antecessit, Georgium & Andream. illum deinde Kuttenbergæ Cæsareum Judicem; hunc cum virtute religiosa & prudentia Oeconomica instituti Socium. Dixi è familia virtutis natum. Nam uterque Pater, & majores eorundem Avus & Avia, ità piè cum DEO familiares vixerunt, ut omnes, emigrationis suæ de hoc seculo diem & horam, prænoverint, prædixerintque. Maternæ curæ specialiter incumberebat, parvulo Martino ab lactato, Timorem DEI, velut fundamentum Rationalis vitæ instillare; tum pietatem in Divinam Virginem & SS. Sacramentum docere, quas

6 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

comendationes, velut *cor senile* gerere incipiens, in primæva illa ætate ut loquitur S. Gregorius Magnus de S. Benedicto, natûsque ad virtutem infantulus, ultrovê arripuit. Ideo etiam in primo illo gradiendi usu, ad celeberrimam ex gratiis & miraculis Claromontanam Virginem vulgò Czestochoviensem Thaumaturgam, novem miliaribus Germanicis Glivicio distitam, cum Matre pedes itare: animatûsque piæ Matris hortatu & exemplo, triduanum severum jejunium, primæ Hostiæ, quam septennis esurire cœpit, præmittere non dubitavit. Quanquam non tantùm à præceptrice morum Matre imbutatur, sed Magistro DEO per internos instinctus usus, ultro ipse in res DEI ferebatur, variâque jam virtutum elementa, nescio an discibat, an exercebat. Corripuit pestilens lues aliquando Glivicium eâ mali vehementiâ, ut in plateis homines ruerent, expirarentve. Et Martinus quidem arctiori custodiâ domi servabatur, nè ab aura pestilente, morientium in vicis pauperum afflaretur. Sed industriam maternam, vicit charitas pueruli, qui clam domo egressus, velut novus Exuperius Tolosæ Episcopus, de quo scribit S. Hieronymus: *Esuriens pascebat alios, & ore pallente jejuniis, fame torquebatur alienâ; annonam inquam panis sibi subtrahens, stratis luc pauperibus efferebat, carbunculi que ardores*

Epist. 4.
ad Rusticum.

corripit

ε A

dores

CAPUT II. 7

dores, ac moribundos ex maligno æstu, comportatâ galericulo aquâ, refrigerabat.

Cùm verò in confinio pueritiæ adolescere cœpisset, emicuit repente auroræ ad instar Solem præcurrentis, pulcherrima illa purpura, ornatûque suo omnibus accepta, & Martino velut adgenita virtus Modestia, quæ tanquam *tunica inconsutilis desuper contexta per totum vitæ spatium*, ita fuit accincta huic adolescenti, Juveni, Viro ac Seni, ut Angelus in carne ipsa, imò virtus gradi, conversarique diceretur. Quamque de alio sub Hieronymi nomine formam velut in umbra quadam humilitatis, scripto quodam ipse Martinus delineavit, hanc ad vivum in semetipso praxi expressit. Frontem scilicet illi explicabat Hilaritas; radiantes oculos maxima ex parte velabat Reverentia; genas suaviter tingebat verecundia; totum denique corpus inusitatam quendam sensum præsentis virtutis, atque ipsius Divinitatis, huic Juveni senique inesse indicabat. Expressit inquam in se colores illos, quos Mellifluus alicubi suavissimè depingit: *Lampas pudicæ mentis jugiter lucens, ut nihil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodatur. Illa expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innata, specialis gloria conscientia & fama custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitia, naturæ laus, & insigne totius honesti. Qualem*


Serm: 86.
in Cant.

8 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

c. 6. lem denique ipse Aristoteles in Physiognomicis
Modestum effigiat: *In motibus tardus, & loquens
tardè, vox tarda & plena spiritu, mitis, oculus hi-
laris, neque valde apertus, neque omnino clausus.*
Cujus fidem vera effigies in fronte Libri posita
testatur. talis à puero videri cœpit Martinus.
Utinam vestitu simili, moribus inquã composi-
tis, Adolescentia nostri seculi, à parentibus in-
dui amaret, & parentes ipsi vanitatum Instru-
ctores non essent! quot in Epilogo Vitæ Jubi-
los Divini amoris, præ threnis pœnitentiæ con-
cinerent ij, quos absque fræno & legibus vixisse,
ferò necquicquam pudet ac pœnitet!

C A P U T I I I

Educatio Adolescentiæ cum ab-
stractione ab occasionibus. Timor
& præsentia DEI pro basi vitæ
accepta. Conservatio Bapti-
smalis gratiæ.

namenta minoris ætatis, si-
ve Adolescentiæ, Mundus ità coacer-
vat in puerulos, ut vestium luxu, mo-
rumque libertate ad vitia reliqua insternant
viam filiis suis infelicibus improvidi parentes.
quod